



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Deum tentans præsumens explorare suam naturam, peccat grauiter.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

secundum subiectam materiam. Si enim iocosa aut officiosa est materia, veniale peccatum est: Si autem perniciosa, peccatum mortale est, quia contra dilectionem Dei aut proximi est.

Deum tentans præsumens explorare suam naturam, peccat grauiter.

Tentatio Dei (qua homo explorat diuinam potentiam, scientiam vel voluntatem) peccatum est mortale ex suo genere: quia irreuerentiam exhibet diuinæ excellentiæ dubitando de illa. Et hoc intellige formaliter: hoc est de temptatione Dei ex intentione tentandi Deū: quemadmodū de cæteris vitiis formaliter doctrina intelligenda est. Aduerte tamen hic duo'. Primum est quod circa voluntatem Dei aliud est quærere humiliter à Deo instructionem quid circa aliquid particulare velit, ex aliqua rationabili causa: & aliud est quærere à Deo instructionem seu notitiam eiusdem absque rationabili inquirendi causa. Primum enim ad charitatem, humilitatem, ac prudentem religionem spectat: & propterea liceret petere signum ad hoc opportunum. Secundum autem ad irreuerentiam diuinam spectat. Si enim diuinæ excellentiam voluntatis homo reuerteretur, non nisi ex rationabili causa præsumeret quærere secretum illius velle nosse: ut experimur in hominibus, nullus enim absque irreuerentia principis quærit absque rationabili causa à principe quid ipse velit, sicut nec quid sciat aut quid possit. Secundum est, quod tentare Deū materialiter (hoc est non intentione explorandi diuinū posse nosse aut velle) non est peccatum mortale, nisi magnitudo seu qualitas temptationis reducat actum naturæ suæ formæ: sicut de aliis peccatis dictum est.

Ez

Eratamē Dei tentatio materialiter tantū, impefectū quid in specie temptationis: & ideo venialis est propter imperfectionem actus ex parte formæ. Potest etiam esse venialis propter actus imperfectionem ex parte actus: ut in primis motibus.

*Falsum in iudicio testimonium proferens
grauissimè peccat.*

Testimonij falsum in iudicio, peccatum est ex suo genere mortale: quia iniustū. Negare quoq; testimoniū si articulus necessitatis vrget, peccatum est mortale: vt pote in damnū proximi vel cōmuni boni cedens, præceptū enim affirmatiū de ferendo testimonio, pro loco & tempore obligat, & propterea si tunc non vult homo parere perhibendo testimoniū necessariū, non excusatur à mortali. Extra indicium autē falsum testimoniū iudicatur sicut mendacium.

*Timor potest multipliciter fieri effici
peccatum.*

Ttimor nullum est secundum se peccatum. Potest tamen multipliciter fieri peccatum. Et ex modo timendi, puta si plus aut minus timeatur quā oporetur. Et ex collatione vnitatis timendi ad aliud timendū. Et hoc est quādoq; mortale: ut si plus timeatur occasio corporis quā mors animæ: plus timeatur ira principis quam ira Dei: & sic de similibus.

Ponitur quoque speciale peccatum timor pro tristitia de bono alterius, quia nocitum est mihi aut aliis, si temerarius est timor, nā si veritati aut rationabili æstimationi innititur, nullum est peccatum moderata tristitia de alterius prosperitate ex qua bonorum oppressio venit.

*Ludus ad virium ostentationē in quo mors
corporalis sequi possit, prohibitus est.*

Terrena.